

ulla in eo sit repugnantia, ut admittatur tum Ecclesiam, tum principatum circa impedimenta coniugia christianorum dirimentia aequali iure gaudere.

ARTICULUS III. — Principes christiani nullatenus relaxare fideles subditos possunt ab impedimentis christianum Matrimonium dirimentibus.

Iamdiu obsoleta videri poterat doctrina, quam regalistae ac Iansenianae factionis homines propugnaverant, de principum auctoritate relaxandi impedimenta, quae coniugium christianum dirimant. Sed ea in scenam his annis denuo prodivit Nepomucenus Nuytz, professor Taurinensis, ad eandem doctrinam ex suis cineribus exsuscitandam. Is enim, ut in pluribus aliis doctrinae capitibus praestiterat, sic et in isto, de quo agimus, non dubitavit ex apostata Spalatensi, Launio, Febronio, Eybel, Litta, Nestio, aliisque eiusmodi argumenta depromere, ut evinceret penes principes potestatem esse relaxandi impedimenta matrimonii. Hinc statuit: « Dirimentia impedimenta a sola civili potestate tollenda esse; » quum vero doctrina haec fuerit in Brevi Pii IX. proscripta (82), quin auctor huic damnationi humiliter, ut decet virum catholicum, se subiecerit, potius audacter doctrinam suam protueri et confirmare edito libello adnissus est (83).

Ut ea qua par est diligentia quaestionem hanc pertractemus, et confusionem declinemus, iuverit nonnulla praemittere, quae conferant ad eius dilucidationem.

(82) In cit. op. *In ius ecclesiast. universum Tractationes*. Taurini 1848. part. V. sec. IV. tit. XVI. art. 1. pag. 290. Coll. cum Brevi pariter cit. *Damnatio et prohibitio etc.*

Atque hic obiter adnoto, professorem Nuytz veritum non esse affirmare, quod Romae examinatum non fuerit opus a se vulgatum, sed fides habita *excerptis seu excerptis* illuc missis. Ast in manibus meis est exemplar ipsum cum signis et postillis, ex quo propositiones damnatae excerptae fuerunt.

(83) Sic enim scribit opuse. cit. *Il professor Nuytz ai suoi concittadini*. Torino 1851. cap. V. p. 161. « *Proposizione condannata. Spetta al governo civile, come di stabilire impedimenti dirimenti, cosi di toglierli con dispensa. Accetto e sostengo questa proposizione.* »

Itaque 1. uti certum assumimus, quod antea a nobis constitutum ac probatum est, solam Ecclesiam potuisse ac posse impedimenta, quae nullum ac irritum coniugium christianum quoad vinculum reddant, statuere, ac reipsa eiusmodi impedimenta solam Ecclesiam constituisse. Hoc enim, ut videbimus, est fundamentum, ex quo pendet quaestionis solutio.

2. Admittimus, posse civiles principes impedimenta civilia constituere, quae nullum reddant coniugium in foro civili tantummodo seu externo, et quoad civiles effectus. Nulla hac in re disceptatio esse potest; atque non semel a nobis declaratum est.

3. Fieri potest, nec raro contingit, ut coniugia utroque impedimento, ecclesiastico nempe et civili afficiantur. Hac in hypothesisi, si detur relaxatio ab Ecclesia, ratum legitimumque erit matrimonium, quod ea venia contrahitur; ast nisi obtineatur etiam dispensatio ab auctoritate civili, illegitimum ac nullum in foro civili habebitur, et qui ita connubium inirent, civilibus effectibus privarentur. Neque in hoc ulla movetur difficultas. Haec animadversio nobis inserviet ad documenta quaedam intelligenda, quae ab adversariis opponi consueverunt.

Quibus praemissis, inversis plane adversariorum principiis, facile nobis accidet evincere, istiusmodi relaxationum potestatem, quibus dirimens quoad vinculum impedimentum solvatur, ad civiles principes nullatenus pertinere. Adversarii enim pugnant ex facultate constituendi impedimenta; pugnant legibus; pugnant denique exemplis. Nos vero eadem in adversarios invertemus atque intorquebimus.

Et quidem quoad primum caput, sic sibi viam aperiunt, ut id evincant, quod intendunt: Si principum regumque, non autem Ecclesiae ac pontificum proprium est dirimentes matrimonium leges constituere; si eas, quibus nunc utimur, dirimentes matrimonium leges revera tulerunt principes atque imperatores; plane consequitur, ius easdem leges solvendi, ac data venia, relaxandi, non ad Ecclesiam pontificesque, sed ad principes regesque unice pertinere. Cuius enim est legem condere

illius est solvere (84). Aut brevius etiam. Dispensatio ad eum pertinet, cuius auctoritati innititur lex, quae impedimentum induxit. Nemo tollere legem potest nisi ille, qui eam tulit (85): Sic alii passim ratiocinantur, qui dispensationum ius principibus vindicant (86). Qui ad unum omnes uti certum exploratumque habent, principes leges tulisse matrimonium dirimentes apud christianos.

Praeclare omnino, si res ita se haberet, ut ipsi assumunt; ast malo ipsorum fato fundamentum istud non solum labile est, sed neque subsistit, prout ostendimus tum iure tum facto. Iure quidem, irrefragabili Tridentinorum canonum auctoritate, a qua irrito conatu se subducere nituntur adversarii, qui catholicos tamen se profitentur, adeo ut omnino violenta sit quaevis ab ipsis, Launoio duce, excogitata evasio. Facto autem, in medium allatis antiquissimorum canonum, Romanorumque pontificum statutis, quibus dirimentia impedimenta inducta sunt (87).

Hoc igitur fundamento everso, ita iam in rem nostram convertimus adversariorum argumentum. Illius unice est legem solvere, qui eam condidit; porro Ecclesia sola, Romanique pontifices potuerunt leges matrimonium dirimentes condere, ac reipsa condidere; ergo solius Ecclesiae Romanorumque pontificum est has ipsas leges relaxare, seu tollere, quae obstant, impedimenta, ut legitime coniugium iniri inter christianos possit.

Sed iam accedamus ad alterum argumentorum caput expendendum, quod a legibus arcessitur, quibus principes veniam

(84) Ita quidem Nestius Pistoriensis in libro suo singulari *De dirimentibus matrimonium impedimentis*. Neapoli 1786. *Aeternis Sarpi manibus, quod de dirimentibus matrimonium impedimentis opus tanto duce et auspice elaboravit, Honoris, gratique animi causa* D. D. D. Cap. XII. pag. 160 seq.

(85) Ita Nuytz op. et locus cit.

(86) Inter caeteros anonymus auctor op. *Del diritto di stabilire gl' impedimenti dirimenti il matrimonio e di concederne le dispense*. Cremona 1784.

(87) Cf. Superius dicta in priori sectione.

hanc dare contrahendi illegitimum coniugium consueverunt. Sic porro pergunt adversarii: Rationi facta respondent. Vetustissima namque historiarum monumenta versantibus facile occurrit, fuisse in more positum institutoque maiorum, ut a principibus atque imperatoribus iniustorum coniugiorum venia tribueretur (88).

Id vero probant contexendo harum legum catalogum. Herodotus in Erato narrat, apud Lacedaemones ius fuisse, ut principes de virgine eiusque sponso suis rescriptis statuerent. Vetus Romanorum respublica dirimentia matrimonium impedimenta remittebat, illique integrum erat iniustarum nuptiarum gratiam facere. Quod certo senatusconsulto factum fuisse tradit Livius (89), quo Hispalae Feceniae libertinae indultum fuit, ut quia bacchanalia indicasset, ingenuo nubere liceret; neu quod ei, qui eam duxisset, ob id fraudi ignominiaeve esset. Postea vero principes, ad quos omnia populi iura venerunt, omnem sibi vetitorum coniugiorum indulgentiam vindicarunt. Sic senator libertinam, tutor et curator pupillam, interveniente principis rescripto, ducebant (90).

Praetermissa porro Symmachi viri clarissimi, qui sub Theodosio eiusque filiis floruit, intercessione ad obtinendum rescriptum (91), id ipsum constat ex Honorii et Theodosii lege an. 401. Ravennae lata, in qua ab imperatoribus edicatur, quibus et qua ratione velint ineundi in vetitis gradibus matrimonii veniam dari (92). Veterem formulam, qua iniustarum nuptiarum

(88) Ita Nestius op. et loc. cit. cui de more consonat Nuytz pariter loc. cit. et in alio opusc. *Nuytz a' suoi concittadini*, pag. 165. nec non auctor *Del diritto etc.*

(89) Lib. 50. c. 19.

(90) Leg. 51. ff. *De ritib. nuptiar.* l. penult. Cod. *De interdict. matrim. int. pupil. et tut.*

(91) Lib. 10. ep. I.

(92) Huic legi, quae in Theodosiano extat codice, titulus est: *Si nuptiae ex rescripto petantur*, et ita se habet: « Quidam vetusto iuris ordine praetermisso, obreptione precum nuptias, quas pro se intelligant non mereri, de nobis aestimant postulandas, se habere puellae consensum contingentes.

venia a principibus concedebatur, nobis servavit Cassiodorus, Theodoricus regis cancellarius; quae quidem formula ad rem nostram his concepta est verbis: « Et ideo supplicationum tuarum tenore permoti, si tibi illa tantum consobrini sanguinis vicinitate coniungitur, nec alio gradu proximior adprobaris, matrimonio tuo decernimus esse sancendam: nullamque vobis exinde iubemus fieri quaestionem, quando et leges nostrae permitti voluntate consentiunt, et vota vestra praesentis auctoritatis beneficio firmaverunt (93). » Exinde tit. in Cod. Rom. *De nuptiis per rescriptum* seu de dispensatione in nuptiis.

Tales sunt leges, quae ad propriam causam tuendam in medium proferunt adversarii. Verum ex his subducendae in primis sunt, quae ex auctoribus paganis puerili eruditionis ostentatione allegantur, quae profecto ad rem praesentem referri nequeunt, cum non agatur in illis de matrimoniis christianis, seu de sacramento a Christo instituto. Sic pariter seponenda est epistola Symmachi viri ethnici, et supplicantis pro rescripto in favorem coniugii pagani (94).

» Quapropter tale sponsaliorum genus praesentis legis definitione prohibemus. Si quis igitur contra hanc definitionem, nuptias precum subreptione meruerit, amissionem bonorum et poenam deportationis subiturum se esse non ambigat. Et amisso iure matrimonii, quod prohibita usurpatione meruerit, filios se iuste hac ratione susceptos non habiturum, nec unquam postulandae indulgentiae adnotationisve principis indulto efficacem se veniae effectum meruisse. Exceptis his, quos consobrinorum, hoc est quarti gradus coniunctionem, lex triumphalis memoriae patris nostri exemplum indultorum supplicare non vetat etc. »

(93) Integra formula legitur lib. VII. *Variarum* eiusdem Cassiodorii n. 46. Opp. ed. I. Gareti monachi Maurini. Rothomagi 1679. tom. I. pag. 125.

(94) Epistola adducta a Nestio non est n. 1. libri X. sed reperitur in Auctuario Symmachiano sub n. 14. ed. Paris 1604. Hic Symmachus ille idem est, qui nomine senatus direxit *Relationem* ad Valentinianum Augustum de repetenda ara Victoriae, deque sumptibus caeremoniarum. S. Ambrosius ubi id comperit, misso libello ad imperatorem postulavit, ut ad se *Relationis* exemplaria dirigerentur, cui ipse per singula responsurus esset. Qua *Relatione accepta*, inquit Paulinus, presbyter eiusdem biographus, praeclarissimum libellum conscripsit, ut contra nihil unquam auderet Symmachus, vir eloquentissimus, respondere.

Veniendum igitur est ad leges conditas ab imperatoribus et regibus christianis, quibus promiscue omnibus certa quaedam vetantur connubia, et ad rescripta, quibus apposita relaxantur impedimenta. Hae leges itaque, ut alias diximus, attingunt solum impedimenta civilia, civilesque effectus, non autem vinculum ipsum, ita ut hoc irritum foret in conscientia, si contra legum sanctiones coniugium initum fuisset; ac proinde, quod consequens est, relaxationes a principibus per rescriptum datae effectus pariter civiles externosque afficiunt, ita ut, si obtenta facultas fuisset has contrahendi nuptias, ius haberetur ab civilia omnia privilegia huic statui adnexa ex legum dispositione. Minime vero valebit venia a principe data, ut, si quae fuissent irritantia impedimenta ab Ecclesia constituta solverentur, ac legitimum evadere coram Deo et coram Ecclesia censeretur coniugium alioquin illegitimum. Caeterum quemadmodum diximus, cum matrimonia ab utraque potestate prohibita sunt, ad utramque potestatem fieri debet recursus pro respectiva dispensatione.

Ne vero haec a nobis gratis confingi quis existimet, satis est diligenter ipsarum legum formulas et contextum inspicere. Ac primo initium sumimus a lege lata ab imperatore Theodosio, cui adeo insistit Launoius (95), qui testibus Sexto Aurelio Victore, Ambrosio et Augustino « Etiam fratres patruales et consobrinam nos vetuit inter se coniugii convenire nomine, et severissimam poenam statuit (96). » Verum quis non videt ea in lege de poenis tantummodo agi decretis in infractores, nec ullum haberi verbum, quo vel insinuetur quidem irritatio eiusmodi coniugiorum quoad vinculum? Proindeque si qua data fuerit dispensatio ab eodem imperatore haec indictas poenas similiter attingebat, easque relaxabat.

(95) *De regia in matr. potest.* art. III. cap. I.

(96) Ita S. Ambrosius epist. XLVIII. ad Paternum, cui reliqui consonant, Victor in *Epitom. hist.* sub finem, S. Augustinus lib. XIV. *De civit. Dei.* cap. XVI. Haec enim lex deperdit est.

Idem dic de altera lege sancita a Theodosii senioris filiis, Arcadio et Honorio, an. 396., in qua vetantur nuptiae in gradibus prohibitis sub poenis civilibus (97). Item de altera lege ab iisdem imperatoribus data an. 409. in qua pariter nihil de vinculo statuitur, sed unice poenae de cernuntur in infractores, ut patet ex illis verbis : « Si quis igitur contra hanc definitionem nuptias precum subreptione meruerit, amissionem honorum et poenam deportationis subiturum se esse non ambigat (98). » Deinde adiiciuntur ea, quae referuntur ad relaxationem ab his poenis, si venia obtineatur. Nam relaxatio relativa est ad legis indolem ac naturam. Lex autem non attingit vinculum, adeoque nec relaxatio.

Eodem sensu intelligi proinde debet formula a Cassiodoro nobis servata, qua reges Gothi veniam dabant ineundi nuptias inter consobrinos, scilicet de solutione poenae quoad effectus civiles, eademque ratione sunt accipiendae si quae sint aliae huiusmodi leges. Hoc magis manifestum fit ex adductis a Launoio exemplis ad conficiendum quod intendit (99).

Siquidem inter caetera refert receptam penes Francorum optimates consuetudinem, ut uxorem non ducerent, nisi venia a rege petita. Nam in vita S. Godebertae legitur : « Parentes autem eius (Godebertae), cum essent regis beneficiarii, non audebant, inconsulto rege, cuiquam eam in matrimonium collocare. Cum autem haec res apud Clotharium ageretur etc. (100), » At quis non videt hisce in adiunctis nullimode

(97) *Cod. Theodosian.* lib. III. tit. 12. *De incestis nuptiis* in qua statuitur : « Sed neque uxorem, neque filios ex ea editos habere credatur, ut nihil prorsus praedictis ac per interpositam personam vel donet superstes, vel mortuus derelinquat. Dos, si qua forte solemniter aut data, aut dicta, aut promissa fuerit, iuxta ius antiquum fisci nostri commodis cedat etc. »

(98) *Eiusd.* lib. III. tit. 10. *Si nuptiae ex rescripta pelantur.*

(99) Atque hic obiter noto Launoium esse promptuarium ex quo Nestius, Nuytz alique suam deprompserunt eruditionem et argumenta, quibus paradoxum suum persuadeant. Nihil enim novi protulerunt, quod illic non inveniatur.

(100) *Op. cit.* p. II. art. 41. cap. 1. p. 767.

agi de impedimento dirimente, neque idcirco de relaxatione ab impedimento eiusmodi? Alioquin nullum dicendum foret coniugium, quod hactenus a militum ducibus iniri non poterat absque imperantis venia, quod plane absurdum est et contra catholicorum omnium sensum (101).

Legibus expensis, adversarii Nestius et Nuytz Launoiana eruditione constanter freti, ad facta se conferunt; atque ex rudi illa indigestaque mole tria selegerunt quatuorve, quae nobis opponerent. Nuytz itaque affirmasse contentus, quod imperatores Romani regesque Gothi de facto dispensaverint ab impedimentis dirimentibus, quodque Ecclesia matrimoniis ita ab impedimentis politica potestate solutis impertierit benedictionem, atque eo ipso in principibus ius relaxandi impedimenta practice agnoverit (102), ulterius non progreditur. Ast Nestius Pistoriensis, cuius doctrinam adoptavit Nuytz, factis theoriam suam communire satagit.

Locupletissimum quoque, inquit Nestius, nobis exemplum suppeditat Flodoardus (103), quo tum dirimentia matrimonium impedimenta sancienti, tum eadem remittendi potestas principibus Romanis, ipsis fatentibus episcopis asseritur. Balduinus namque Comes Iudith, Caroli Calvi filiam, praeter paternum ipsius Caroli consensum, sine quo filiorum familias matrimonia penes Gallos irrita decernebantur, uxorem duxit. At civiles iudices, ipso rogante Carolo, matrimonium illud pronunciarunt infectum. Episcopi vero spiritualibus inflicis poenis improbarunt atque damnarunt. Ex quo factum est, ut Balduinus ad pontificem Nicolaum I. confugerit, qui huiusmodi insciente patre initi coniugii veniam daret. Votis, ut aequum erat, restitit pontifex, eamque tantam detestatus temeritatem dimisit. Tandem iteratis precibus victus, datis ad Carolum litteris, ro-

(101) *Cf. op. De l'autorité des deux puissances.* Liège 1791. tom. III. §. VIII. pag. 182. seqq.

(102) *In cit. opusc. Nuytz ai suoi concittadini,* cap. V. pag. 164 seqq.

(103) *Lib. III. Hist. rhemens.*

gat ut irritum Balduini atque Iudith matrimonium ratum iustumque decernere vellet, apprime noscens, quod ipse talis conubii gratiam posset facere. Humanissimis pontificis precibus annuit Carolus, remissaque dirimentium nuptias hasce legum auctoritate, iustum cum Iudith matrimonium ineundi potestatem Balduino fecit (104). Prolatisque in medium tum Nicolai I. ad Carolum epistola, tum responso ab Hinemaro regis nomine dato (105), ita prosequitur Nestius: ex quo satis abunde constat, non solum pontificem regiam in concedenda vetiti matrimonii venia potestatem agnovisse, sed tanto Gallicanum regem habuisse in pretio, ut eam, quam rex ipse denegaverat, veniam nunquam et optimo quidem iure impertiri vellet (106).

Hic sistamus, atque Launoii eiusque exscriptoris Nestii detegamus errores ac fraudes. 1. Falsum est Flodoardum aliquid insinuare, quo potestas dirimenti in foro conscientiae impedi-

(104) Op. cit. cap. XIII. p. 164 seqq.

(105) Hic tenor est epist. Nicolai I. « Balduinum, qui natam vestram sibi » furto contra fas sociavit, quem ideo venerandi praesules Ecclesiam in regno » vestro gubernantes vinculis anathematis obligarunt, ad limina apostolorum » accessisse, et ut a vinculis solveretur, atque per nos gratiam inveniret, se- » dem adisse apostolicam. Nos autem non solum eum a vinculis minime ab- » solvimus, aut in communione nostra recepimus, sed penitus eam presump- » tuosam temeritatem detestati sumus... Verum quoniam ad divina se praesi- » dia contulit, amatorumque vestrorum Petri ac Pauli, apostolorum principum, » sibimet expetiit afferri praesidia, non potuimus omittere, quominus ut ves- » tram gratiam perciperet, apud excellentiam vestram interveniremus. Verum » vestram in omnibus prae oculis habentes dilectionem, quamquam sciamus, » et filiam vestram, si libet, posse vos ei legaliter in uxorem dimittere, et » pietatis vestrae gratiam impertiri, tamen non iussa misimus, sed preces ob- » trudimus.»

Rescriptum porro Hinemari ita se habet: « Balduinus et Iudith iura legum » secularium, quae elegerunt, exsequi studuerunt. Dominus enim noster rex, » filius vester huic desponsationi et coniunctioni interesse non voluit; sed » missis publicae rei ministris, sicut promisit, secundum leges eos uxoria » coniunctione ad invicem copulari permisit, et honores Balduino pro vestra » solummodo petitione donavit. »

(106) Haec Nestius, qui ea depromsit ex Launoio *De regia etc.* part. II. cap. IV.

menta regibus tribuatur. Nihil eiusmodi occurrit in hoc scriptore. 2. Falsum est episcopos spiritualibus poenis communivisse hac in re civiles leges, ut ait Launoius, sed executioni mandarunt decreta X. et XI. Gregorii II. in synodo Romana cap. *Si quis virginem* 36. q. 2. quo cap. raptores virginum et viduarum excommunicari iubentur. 3. Falsum est Balduinum rogasse pontificem, ut initi matrimonii veniam daret, atque pontificem regem rogasse, ut irritum Balduini ac Iudith matrimonium ratum iustumque decernere vellet, sed sanctissimus pontifex, admissis precibus Balduini, per litteras tum ad regem Carolum Calvum, tum ad eius uxorem Hermentrudem reginam datas, una cum duorum praesulum legatione, rogavit ut iniuriam sibi illatam per Balduini facinus ignoscerent. Immo notandum, quod pontifex de civili lege ne mentionem quidem iniecerit, sed tantum affirmavit quod Balduinus *charissimam filiam contra divinarum legum sanctiones rapuit* (107); qui praeterea ad Hinemarum scripsit sub interminatione excommunicationis praecipiendo *nullam protelationem in eorum* (Balduini et Iudith) *coniunctione fiendam* (108).

Itaque in toto hoc negotio tantummodo actum est de condonatione impetranda a rege Carolo illatae sibi a Balduino et Iudith iniuriae, ac proinde de ineundo cum eiusdem regis venia coniugio, prout reipsa factum est, rege ac regina placatis. Caetera omnia superstructa nil aliud sunt quam somnia Launoii et Nestii. Si quod fuit impedimentum in eiusmodi coniugio quod a rege relaxari deberet, hoc fuit mere civile iuxta leges Gallicas, quae irritum in conscientia non reddunt connubium (109). Quod si intervenit impedimentum canonicum raptus, ab eo re-

(107) Ita Nicolaus I. in epist. ad reginam Hermentrudem apud Baronium ad an. 862. n. 54.

(108) In epist. ad Hinemarum apud Flodoardum *His rhem. eccles.* lib. III. cap. 12. ed. Duaci 1617. pag. 550.

(109) Cf. Baronium loc. cit. nec non Du-Mesnil *Doctr. et disciplina ecclesiae.* Coloniae 1759. tom. III. lib. 59. §. 16. Natal. Alexandr. *Hist. eccles. saec. IX et X.* art. IX. *De Nicolao I.*

laxavit ipsemet pontifex facto ipso intercedens apud genitores.

Alterum, quod nobis a Nestio obiicitur factum, est Ludovici, Romanorum imperatoris, qui postquam contractum inter Ioannem, regis Bohemiae filium, perpetuae impotentiae laborantem impedimento, et Margaretham, Karinthiae dominam, matrimonium dissolvit, Margarethae facultatem dedit, ut Ludovico, Ludovici imperatoris filio, Marchioni Brandeburgensi, consobrino suo nuberet. In cuius rei probationem prolixam formulam eiusdem affert imperatoris, utpote quae ad instituti nostri, inquit, rationem pertinet (110). Porro in hac formula mentio fit tum impedimentorum dirimentium, quae auctoritate civili constituta sunt, tum veniae, quam suppliciter Ioannes et Margaretha ab auctoritate imperiali petierunt; tum relaxationis, quam reipsa Ludovicus auctoritate propria concessit. Post quae, sic elato supercilio lectorem suum Nestius compellat. Potuitne imperator explicatius, nervosius ac magnificentius loqui? Ex locupletissimis igitur rationum momentis, ac certissima factorum serie intelligitur suprema regum in concedenda iniustarum nuptiarum venia, potestas. Non igitur Ecclesiae, non Rom. pontificum, non episcoporum, sed principum regumque est dirimentium matrimonia legum auctoritatem remittere, exorantamque in vetitis coniugii gradibus veniam tribuere: eo prorsus modo, quo dirimentes matrimonium leges condere ad principem, non ad Ecclesiam ac pontifices pertinere demonstravimus. Hactenus ille.

Verum non adiecit, quod maxime intererat, nempe Ludovicum hunc fuisse Ludovicum Bavarum, scilicet schismaticum, cuius theologi fuerunt Ioannes a Ianduno et Marsilius Patavinusdamnati a Rom. pontificibus tanquam haeretici. Neque adiecit, Ludovicum ob adeo atrox facinus a Clemente, Benedicti suc-

(110) Quod ei difficile non fuit; nam integram eam formulam reperit apud Launoium in cit. op. part. III. art. I. cap. IX. pag. 861. seqq. Ne tamen videretur ex adeo impuro fonte se haurire sua haec documenta et argumenta, cavet sedulo Nestius, ne unquam Launoium nominet.

cessore novo fuisse anathemate percussus, aliisque gravioribus poenis affectum (111). Non adiecit tum divortium petulantis ac impudicae Margarethae irritum a pontifice pronunciatum fuisse, tum novum coniugium velut adulterinum fuisse reiectum (112). Nulla igitur ratio erat cur adeo exultaret hic auctor pro usurpata a viro schismatico potestate contra ius ac fas. Ex his etiam specimen capere possumus indolis eiusmodi auctorum, qui apostolicae Sedi adversarios se praebent.

Qua vero ratione *demonstraverit* hic auctor dirimentes matrimonium leges condere ad principem, non autem ad Ecclesiam Romanosque pontifices pertinere, ex antea dictis abunde constat, quin aliud addamus ad eius iactantiam retundendam.

Post haec pergit Nestius scribens: Profecto non solum superioribus temporibus, sed ne undecimo quidem vertente seculo receptum more fuisse tradit Ioannes Mariana (113), ut pontifices in vetitis matrimonii gradibus veniam darent (114). Quis haec legens non sibi persuaderet iuxta Marianam ius solvendi illicitorum coniugiorum impedimenta sec. XI. nondum ad Rom. pontifices pertinuisse, sed ad seculi principes id unice spectasse? Ast si Marianam consulueris, illico contrariam deprehendes sententiam.

(111) Satis ingeniosa est evasio, quam Launoius reperit, ut se ab hac Clementis agendi ratione extricaret. Scribit enim: « Clemens VI. in sententia, qua » Ludovicum imperio privatum denunciavit, inter septem damnationis capita » recenset illud, quod nonnullos in prohibitis gradibus coniunxisset. Sed id » fecit doctissimus pontifex, non quod crederet legitimos principes gradus » affinitatis solo civili iure vetitos relaxare non posse, sed quod Ludovicum » Bavarum verum ac legitimum imperatorem non esse, persuasum haberet. » Qua in re pontifex illatam legitimis principibus iniuriam vindicavit potius » quam ullum civili potestati regiae vel imperatoriae detrimentum attulit. » Certe sin minus veritas, ingenium laudandum saltem est in hoc effugio inveniundo.

(112) Cf. Bzovium *Annal. eccles.* ad an. 1540. n. VIII. qui praeterea ibidem n. IX. refert Ludovicum Bavarum his perterritum ad pontificiam Sedem legationem misisse pacis conciliandae causa. Nec non Raynaldum ad. an. 1541. n. XV.

(113) Lib. X. *Histor.* cap. 8.

(114) Op. cit. pag. 471 seqq.

Quod ut pateat nos non pigebit integrum huius historici haec in re textum describere. « Alfonsus Urracam uxorem a patre » tertio propinquitatis iure attingebat: proavus utriusque » Sanctius, rex Vasconum, cognomento Maior. *Nondum moribus receptum erat, ut pontificum Romanorum venia lege » cognationis soluta coniugia inter cognatos coirent.* Itaque » passim consideramus per haec tempora connubia principum » dirempta esse, cognatione inter coniuges illegitima iniusta- » que. Hanc unam arbitror esse causam cur Alfonsus hic in » nullo Castellae regum numero ponatur apud veteres scrip- » tores, neque verum est fixas vetustate opiniones novis » placitis convellere: quod quidam faciunt regem hunc Alfonsi » nomine septimum inter Castellae reges numerantes: in quam » quod iuris habere potuit, legitimo haerede ex priori coniugio » nato, posteriori matrimonio vitioso, et legibus repugnantibus » invalido? Regina ob importunas actiones ad arcem Castellare » in custodiam tradita, re cum suis communicata in Castellam » evadit. Verum a regni proceribus ad virum remissa, carceri » denuo mancipatur: Caleciae proceres, ubi Urracae filius » Alfonsus ex avi testamento rerum potiebatur, inter se inire » societates adversus Aragonios conatus: coniugium, quod » inauspicato coierat invita nobilitate, dissolvendi occasionem » nacti. Ex ea re in animis hominum religiones excitatae, ei » obtemperare fas esse negantium, qui legitimus rex non esset. » Ad Paschalem Romanum pontificem missa legatio: causa » omnis exposita: ab eoque diploma ablatum: quo causae » cognitionem Didaco Gelmirio, Compostellano praesuli, permit- » tebat. Eius diplomatis fragmentum subiicimus: PASCHALIS » *servus servorum Dei venerabili fratri dom. Compostellano » episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Ad hoc te » omnipotens Deus populo suo praeesse constituit, ut eorum » peccata corrigas, et Domini annuncies voluntatem. Stude igitur » secundum datam tibi divinitus facultatem, tantum incesti » facinus, quod a regis filia perpetratum est, debita ultione » corrigere: ut vel a tanta praesumptione desistat, vel Ecclesiae*

» *consortio, et seculari potestate privetur.* Quid dati iudices, » seu potius mali vindices designati constituerint, memoriae » proditum non est. Illud constat, ex eo tempore Alfonsum » in praesules iniquo animo esse, atque adeo saevire coe- » pisse (115). »

Universam orationis seriem, licet aliquantum prolixam, in me- dium proferre constitui, tum ut appareat mala huius adversarii fides, tum etiam ut, quae pro re nostra faciunt, inde eruamus.

Itaque, ut patet ex contextu, verba illa: *Nondum in moribus receptum erat, ut pontificum Romanorum venia lege cognationis soluta coniugia inter cognatos coirent*, referuntur ad antiquam disciplinam, iuxta quam non dabatur a Rom. pontificibus relaxatio praevia ab impedimento, seu antequam iniretur coniugium, sed aut dissolvebantur, si quae contracta fuissent, aut gravissimis intercedentibus causis ab Ecclesia, seu a Rom. pontificibus sanabantur, prout superius a nobis animadversum est. Exploratum est enim ob causas, quas exposuimus, a seculo plus minus XII. coepisse a summis pontificibus dari relaxationem ab impedimentis ante nuptiarum celebrationem.

Ex his quocirca colligimus, non eo sensu haec dicta a Mariana fuisse, quod hactenus impedimenta relaxarentur a principibus, ut contendit Nestius, et postea coeperint pontifices Romani veniam dare; sed quod alia obtinuerit in Ecclesia disciplina ab ea, quae postea inducta est.

Nam si penes principes regesque viguisset potestas relaxandi leges, aut canones matrimonium dirimentes, quid opus fuisset relaxatione pontificia? Nonne potuisset Alfonsus secum dispensare, ac legitimum inire coniugium? At tantum abest, ut id pertentaverit rex ille, ut ne excogitaverit quidem. Hinc eius coniugium populus universus regnique proceres tanquam incestum detestati sunt, atque irritum; filius inde ortus ut illegitimus spectatus atque a successione detrusus, neque inter

(115) Loc. cit. pag. 475 seq.